CONRADUS DE SUSATO. TRACTATUS DE PASSIONIBUS ANIMAE

Entstehungsort unbestimmt, um 1465/1475 Seite 73v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35059
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



Ro

operacionem / prima pars conclusionis patet / quia habitus laudabilis genitus ex bonis operacionibus / et inclinans ad consimiles / reddit hominem simpliciter bonum in se / ut manifestum est / sed talis virtus imperfecta est huiusmodi habitus / ut declaratum est circa conclusionem precedentem / etc. / 2a pars conclusionis patet / quia bonitas intrinseca hominis virtuosi / non apparet aliis nisi per actus exteriores / eo quod actus interiores sunt hominibus in manifesti / ut dictum est in 3o notabili / Et ergo talis non diceretur bonus / quo ad alios / nisi eius bonitas per actus exteriores aliis ad extra appareat /

Corollarium huiusmodi virtus imperfecta sic genita / operari non potest sufficienter nisi per actus sive operaciones exteriores / patet quia bonitas et firmitas huiusmodi habitus intrinseca in nobis / operari non potest / nisi per extrinseca / et inde surgit / quod quamvis putamus nos habere perfectam voluntatem in absencia passionis / que tamen perfecta non est / sed pigra et debilis / propter quod aliter inclinaretur per passionis adventum / et forte cadet propter ipsius impetum / etc. / Et istud videtur esse de intencione Senece in libro suo de divina providencia / sic inquiens vel dicens / Nichil michi inquit videtur infelicius eo / cui nichil advenit unquam adversi / non licuit enim illi se experiri / gubernatorem in tempestate / in acie militem intelligas / Unde possum scire / quantum adversus paupertatem tibi animi sit / si scilicet divitiis affluis / Unde possum scire / quantum adversus ignominiam et infamiam / odium quoque populare constancie habeas / si inter plausus senestis hec ille / ergo videtur velle quod virtus mentis interior experimentum sui habet ex actibus exterioribus / et hec de 2o articulo / etc.

Queritur 1o utrum ex unica operacione possit generari virtus. Arguitur quod quia vel ex prima operacione / generatur virtus vel non. Si dicatur quod ex prima / sequitur quod non generetur ex aliqua posteriori / quia quod semel generatum est / amplius non generatur / et sic habetur propositum. Si autem dicatur / quod non generatur ex prima / tunc queritur An generetur ex 2a vel non. Si sic / tunc non generatur ex aliqua posteriori / et iterum habetur propositum / quia idem non bis generatur / Si autem non generatur ex 2a / sicut nec ex prima tunc queritur conformiter de 3a et 4is / et concluditur quod vel nunquam generatur / vel quod ex aliqua sola et unica operacione ipsa virtus generabitur / et hoc est propositum. Respondetur quod nec ex prima / nec ex 2a generatur virtus / sed ex omnibus simul sumptis generatur virtus / licet successive per partes post partem / et concedo quod totalis virtus adequate per naturam operacionis generatur / ut dicitur in 2a conclusione secundi articuli / Nichilominus per quamlibet operacionem generatur aliquid virtutis seu pars eius / et illi gradus sic per intensionem sibi additi constituunt totam virtutem / Nec sequitur quod propter hoc virtus nunquam generabitur / quia tot possunt operaciones bone fieri / quod introducant licet successive tot gradus virtutis / vel habitus virtuosi / quot sufficiunt ad generacionem virtutis / Secundo arguitur / virtus habet generacionem instantaneam / ergo generatur ex unica sola operacione / tamen quia quod si generaretur ex pluribus operacionibus / oportet omnes illas operaciones ad idem instans attingere / in quo generaretur virtus / modo hoc est impossibile / eo quod una illarum operacionum una desinit prius / vel quando alia incipit / sed antecedens patet per commentatorem 1o physicorum / qui vult quod virtus consistit in indivisibili / modo indivisibile non habet generacionem successivam sed instantaneam / Respondetur ad antecedens / ad quod dicitur quod commentator loquitur de virtute morali perfectissima / si saltem sit aliqua talis / et vult quod illa quantum ad racionem intensissimi

libri